SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica Kopernikańska w Toruniu
SCHULPROGRAMME

Königliches Gymnasium in Bromberg.

Zu den

am 25. und 26. September 1879

stattfindenden

Schul-Prüfungen und Feierlichkeiten

ladet

im Namen des Lehrerkollegiums

ergebenst ein

Direktor Dr. Guttmann.

Inhalt: De Sophoclis Trachiniarum cantico secundo vom Gymnasiallehrer Schramm.

Bromberg 1879.
Druck von F. Fischer.

1879. Progr. No. 122.



Der Jahresbericht ist besonders ausgegeben.

De Sophocl. Trachin. cantico secundo.

De Sophocl. Trachin. cantico secundo.

Trachiniarum cantici inde a v. 205 usque ad v. 224, quod pertractandum mihi proposui, quoniam plurima singulis locis commemorare aptius erit, initio pauca tantum cum de eius genere naturaque poetica tum de metro universa proferam.

Deianira tristitia in subitam conversa laetitiam virgines iubet deos cantu celebrare. Canunt igitur carmen, paeani non dissimile, orchesticon (cf schol. ad vv. 216 et 217[1])), non ὑπόρχημα. Eum enim errorem, quo ductus primus est (nisi fallor) O. Muellerus aliis secutis viris doctis, correxisse et sustulisse videntur Rossb. et Westph. (cf. metr. III. p. 441 sq. cum nota). Nam etiam Nauckius cum quae Schndw. in ed. II. Trach. p. 52 de cantico adnotaverat: „dem Charakter und Ton nach ein tragisches Hyporchema“ non mutasset, in ed. III. omisit. Itaque eam questionem ut profligatam, relinquo. Iam vero posteaquam adhuc viri docti (secundum scholiastae ad v. 216 adn. τὸ μελδάριον οὐκ ἔστι στάσιμον) hoc carmen non duxerunt pro stasimo, eius sententiae auctoritas hoc tempore infracta est quaestione, quaenam in tragoediis chori carmina habenda essent stasima necne, accuratius instituta ac perpensa. Ascherson enim, vir doctus et in hac re versatissimus, commentatione luculenta (cf. Jahns Jahrb. für cl. Phil. Supp. IV p. 336 sqq. atque etiam singulari libro prodiit Lipsiae) demonstrabat, stasimi notionem latius patere, quam vulgo creditum esset, in eorumque numerum, quaecunque eo pertinerent chori carmina (nempe omnia praeter parodum) esse referenda, ita tamen, ut, si velles „στάσιμα ὑπορχηματικά“ (vellem appellasset ὀρχηστικά, ne quis de hyporchematis cogitaret) et στάσιμα στάσιμα (cf. p. 446) discernere posses. Qua ratione etiam hoc carmen pro stasimo habendum est. Atque eam quidem sententiam Nauckius, vir doctus interdum paulo mutabilior, praepropere arripuit. At mihi quidem in illo Aschersonii libro perlegendo idem accidit, quod apud Ciceronem illi: Dum lego, assentior, cum posui librum, assensio elabitur. Sed ne quae dixi secus ac velim accipiantur, hoc profitendum, ne me quidem definitionem illam stasimi angustius valentem sequi. Sed contra; probo Hermanni vocis explicationem, stasimi esse ea chori carmina, quae stationem tenens cantet. Id enim nomen his carminibus videtur esse inditum, ut opponerentur parodo, non quod choreutae canentes uno loco neque ullo motu starent. De saltatione autem, quae fuit Graecorum ars ὀρχηστική, hoc erit iudicandum, initio omnibus, posteriore tempore plurimis certe chori canticis adiunctos fuisse motus quosdam tum simpliciores placidioresque, vix quos salta-

---

[1]) ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ὀρχοῦνται et ἐν δὲ τῷ ταῦτα λέγειν ὀρχοῦνται ὑπὸ χαρᾶς.

torios nos quidem appellemus, tum concitatos magis et complicatos. Sed disputationis Ascherson. illud potissimum me offendit, quod in notione stasimi statuenda veteribus illis scriptoribus iisque quae tradiderunt nimiam auctoritatem tribuere, fabularum ipsarum carminumque qualia sint minus quam par est rationem habere videtur (nisi forte id alio loco exponendum sibi proposuit). Fac enim artem poeticam vel ab Aristotele ipso eam quam habemus esse conscriptam; attamen quae ibi (cap. XII) proferantur de tragoediae partibus explicationes neque accuratas neque (ex parte) rectas quidem esse ipse Ascherson non negabit; non rectas, quia exempli causa „κοινὸν τῶν ἁπάντων“ definitur πρόλογος, quo tamen Aschers. ipse (p. 428) vidit Aeschyli et Persas et Supplices carere[1]); non accuratae sunt et parodi ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ et stasimi μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου.[2]) Quae verba Rossbachius (in universum consentiens cum Schneidero Att. Theaterwesen p. 203, Leop. Schmidt. et Theod. Kockio cf. Aschers. l. c.) recte videtur interpretari: „ein Lied ohne Anapästen und Trochäen, d. h. welchem nicht Anapästen (in der Tragödie) und nicht Trochäen (in der Comödie) vorausgehen.“ Idemque vir doctus summa cum probabilitate coniecisse videtur, hanc definitionem profectam esse ex dramaticorum poetarum scholis disciplinisque vetustissimis illis tralaticiamque iisdem verbis ab Aristotele (quippe qui auctoribus fontibusque quam certissimis uti solitus esset) receptam esse; ad antiquioris enim tragoediae rationem naturamque eam aptissime quadrare (cf. etiam eius metr III. p. 101 sqq. et 153. Sed equidem cum ea Rossbachii coniectura coniungendam esse censeo Fritzschii sententiam (quam quidem ille v. d. reicit), parodum constare ex solis anapaesticis systematis primo cantico antecedentibus ita, ut eam ad vetustiora saltem tempora valere iudicem. Exceptis enim exempli causa ex tragoedia solis anapaesticis systematis (ἄνευ ἀναπαίστου) restaret etiam parodus vel parodi canticum (Rossbachii definitione parodi), non sola στάσιμα. Itaque Rossbachii coniectura stare non potest, nisi iisdem antiquioribus temporibus anapaesti tantum illi pro parodo habebantur; alias enim ne eo quidem tempore spectato definitio Aristotelis vera esset. Is igitur locus Aristotelicus cum ad definitionem stasimi eius, quale fuit posteriorum fabularum earumque quae aetatem tulerunt nihil facere videatur cumque quos praeterea Aschers. contulit locos aut multo minoris aut paene nullius momenti esse perspicuum sit, equidem Rossbachio ex fabulis ipsis nobis traditis notionem stasimi enodandam constituendamque esse adstipulor. Atque is quidem stasima definit: „Lieder des Gesammtchors, welche nach der Parodos folgen, von den Epeisodien begrenzt werden und immer antistrophisch sind.“ Illas autem cantiunculas, quarum haec sit (Trach.) et quae Aesch. Choeph. 152 sqq. et Soph. Oed. Tyr. 1086 sqq. inveniantur, recte dicit nominis nihil habere neque indigere. Hoc enim carmen neque antistrophis utitur et positum est in medio episodio primo, quod est inde a. v. 141 usque ad v. 446. Eos enim versus carmine non dividi in duo episodia, ut Schndw. et Nauckio placuit, inde potissimum elucet, quod cum antecedentibus versibus (cf. 200 sqq.) arctissime cohaernt. Nec personas quidem agentes (Deianiram et nuncium) scenam relinquere censendum est. Ceterum ne Nauckius quidem, quoniam in ed. II. Trach. hoc carmen nondum putabat esse stasimon, in ea ipsa editione illos versus (141—496) in duo episodia distribuere debuit secundum Aristotelis definitionem: ἐπεισόδιον μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν.

---

[1]) Quare ea definitione, ut alias saepe, Euripidis maxime fabulas ab Aristotele spectari verisimile est.

[2]) Ad singularem num. cf. Suid s. v. τροχαῖον: αἱ σαλπιγκταὶ τροχαῖόντι συμβοήσαντες; nam ut hic μέλος vel simile quid, sic ibi facile μέρος suppletur. Singularis igitur offensionis nihil habere videtur; secus sentit Aschers. p. 434.

Ad metrum constituendum secutus sum Rossbachii et Westphalii rationem, quam licet non omnibus partibus perfecta sit atque absoluta, tamen earum quae nunc exstent longe rectissimam esse plurimos inter viros doctos constat. Atque illi (metr. III. 263) iambici metri genus quoddam in lyricorum chorica poesi usitatum suspicati sunt. Sed fortasse statui potest iambotrochaicum quocum metrum huius carminis multis locis partibusque (cf. exempli causa τὸ ἦθος et usum metri iambotrochaici Rossb. et W. III. p. 273 sqq.) perbene congruit nisi quod saepius, quam fieri solet, iambici versus admiscentur. A quo metro si syncopas, quae vocantur crebriores quis abhorrere putat, id satis excusari mihi videtur et nominibus et exclamationibus. Sed quoniam id aliis exemplis consimilibus destituti diiudicare vix possumus, in illa virorum doctorum sententia acquiescamus. Quamvis autem in universum cum iis faciam, singulis tamen locis sat multum dissentiendum existimavi Comparato enim carmine non tam cum ceteris Sophocli strophis iambicis iisque quibus genere et natura poetica similis est (Oed. I. 1086 sqq. El. 258 sqq. Choeph. 152 sqq.), quam cum iis, quarum metrum non multum discrepat (cf. R. et W. III. p. 263: am nächsten steht das Metrum den hyporchematischen Dactylotrochäen", de quibus v. praef. eiusd. libri p. XXIV.: die Formen der Eurythmie . . . . sind am kunstreichsten für die hyporchematischen Dactylotrochäen etc.) illud persuadere mihi non potui, ut eam tantum symmetriam quam R. et W. invenerunt quamque fere nullam esse nemo non videt[1]), inesse crederem. Eorum enim divisio si retinetur, non solum versu 9. (Schndw. 217.), quem ipsi commemorant p 267 not) sed etiam v. 8. aequabilitas illa vel eurythmia tollitur. Nec. probo, quae eodem loco aiunt: „ . . . die Hexagodie v. 9. . . . steht als Abschluss der ersten Periode, womit der Wechsel des Inhalts und Tons v. 10. (Schndw. 218) übereinstimmt." Argumentum enim carminis apparet mutari versu 8. (216) cf. etiam Leutschii verba, quae infra attuli. Itaque mihi totum carmen in duas partes dividendum videtur, quarum altera (205—215) alteri (216—224) metro quidem prorsus parest, ordine tamen inverso; nec verisimile non est, saltandi motus figurasque choreae (σχήματα ὀρχηστικά), quoniam metro aptari solebant, eodem modo data ductaque esse. Totum igitur canticum una est periodus μεσῳδικη, quae qua arte composita sit, ex metri exemplo (quod infra addam) elucet. Choream agunt virgines canentes ad tibiae sonum (cf. v. 217.) eius, quae est „tenui" et „foramine pauco". Quominus autem sum Schneidewino a chorago virgines invenesque canere inberi censeamus, obstat, quod choragum ipsum aut singulas choreutas Sophoclea cantica cecinisse non constat. Cf. Leutsch Gött. Gel. Anz. 1855 p. 172. Mihi quidem altera virginum pars vv. 205—215, altera sequentes versus usque ad 224. cantare videtur. Neque cantu solum, sed saltatione etiam alterna altera alteram excipere statuenda erit. Patet enim, quae concitatis vehementibusque motibus agitentur, easdem non simul canere posse[2]). Saltationem enim acceleratam cogitari debere ex ipsa carminis natura agnoscitur. Cf. vv. 218 sqq.[3]) Nec dissimile quid Hermannus videtur sensisse; adnotat enim ad v. 216 „. . . . credibilius tamen est, chorum in partes divisam esse, quam illas (virgines) ex aedibus foras exiisse" (id quod Seidlerus iudicaverat).[4]) Atque metra ipsa singulorum versuum priusquam

---

[1]) nempe haec est:
(προῳδικόν)
332 66 44 44 333 46 44 44 44 44.

[2]) Idem (quod nimirum maxime est consentaneum) sensisse video Westphahl. allgem. gr. Metr. p. 176.

[3]) R. et W. gr. metr. p. 263 quem l. supra exhibui.

[4]) Omnibus his de causis, qua ratione H. Schmidt d. ant. Compositionsl. p. 142. eurythmiam hui, carm. statuerit, mihi non probatur.

exponamus, satius erit totum carmen, quale constituendum puto, exemplo metri adiecto perscribere:

Schndw. 205. *ἀνολολυξάτω δόμος*
206. *ἐφεστίοις ἀλαλαγαῖς*
207. *ὁ μελλόνυμφος, ἐν δὲ κοινὸς ἀρσένων*
208. *ἴτω κλαγγὰ τὸν εὐφαρέτραν*
210. et 211. *Ἀπόλλω[να] προστάταν. ὁμοῦ δὲ παιᾶνα παιᾶν᾽ ἀνάγετ᾽, ω*
212. *παρθένοι βοᾶτε τὰν ὁμόσπορον*
213. et 215. *Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν, ἐλαφάβολον, ἀμφίπυρον γείτονάστε* ***Νύμφας.***
216. *ἀείρομ᾽, οὐδ᾽ ἀπώσομαι*
217. *τὸν αὐλόν, ὦ τύραννε τᾶς ἐμᾶς φρενὸς*
220. *ἄρτι βακχίαν ὑποστρέφων ἅμιλλαν.*
218. *ἰδού μ᾽ ἀναταράσσει,*
219. *εὐοῖ εὐοῖ, ὁ κισσός*
221. *ἰὼ ἰὼ* ***Παιάν.*** [vel *ἰὼ ἰὼ* ***Παιὰν Παιάν.***]
222. *ἴδε ἴδ᾽, ὦ φίλα γυναικῶν. τάδε*
223 *ἀντίπρωρα δή σοι*
224. *βλέπειν πάρεστ᾽ ἐναργῆ.*

v. 205 Tetrapodia trochaica, cuius prima arsis soluta, quarta thesis excidit, extrema syllaba anceps (cf. Rossb. Rythm. § 20 et Metr. III p. 214) vel dimeter trochaicus catalecticus. Idem versus Aesch. Choeph. 26 *ὄνυχος ἄλοκι νεοτόμῳ* (tres solutiones) 406. *ἴδετε, πολυκρατεῖς ἀραί* (duae solutt.) cf. Eur. Hik. 784 *τὰν ἄελπτον ἁμέραν.*

v. 206. Tetrapodia iambica, tertia arsis soluta, quarta ars. syncope excisa; sive dimeter iambicus catalecticus cf. Rossb. et. Westph. metr. III . . . p. 214 Eur. Suppl. 824 *σποδὸν κάρα κεχυμεδα.* Troad. 567. *Φρυγῶν δὲ πατρίδι πένθος.* — Hos duos versus (205 et 206) Rossb. et Westph. (metr. III. p. 265) in unum voluerunt coagmentari dochmiacum. Praefigitur sane interdum *προῳδικόν*, quod dicitur, singulis periodis cf. Choeph. 942 (de quo cf. Rossb. rythm. p. 202 et metr. III. praef. p. XXIII.) Sed viri docti ipsi cum hoc loco (p. 265.) pugnantia dicunt p. 553, ubi de metro dochmiaco agunt: „Sie haben ihre Stellung in den Monodien der Tragödie, wo die Leidenschaft des Schmerzes, der Angst und der Verzweiflung auf das äusserste gesteigert wird" et p. 554: „die grösste Kunst in ihrem Gebrauche zeigt Sophocles, der dem Euripides gegenüber die allzugrosse Freiheit meist durch Anwendung antistrophischer Bildung zügelt und üderhaupt in der Zulassung der Dochmien sparsamer ist, indem er sie stets auf die eigentliche Katastrophe der Handlung aufspart." Quibuscum cf. exeuntem § 30 p. 230: „So häufig auch die dochmischen Verse mit Jamben verbunden werden (s. IV., 2), so haben wir doch kein einziges sicheres Beispiel, dass in den jambischen Strophen der Tragiker Dochmien zugelassen sind". et vide Leutsch. l. c. p. 180: „ganz falsch ist bisher V. 1 dochmisch gemessen: in schiefen Dochmien jubelt man nicht."

⏕ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓ 4
⏑ — ⏑ — ⏑ ⏕ ⏒ 4
⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — 6
⏑ ⊔ ⊔ — ⏑ — ⏑ — 6
⏑ ⊔ ⊔ [⏑] — ⏑ — ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏕ ⏑ — 6 + 4
— ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓ 6
— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏓ — ⏑ — ⏑ — — 6 + 4
⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — 4
⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓ 6
— ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏒ 6
⏑ — ⏑ ⏕ — — 4
— — — — ⏑ — ⏑ 6
— — — — — — [vel ⏑ — ⏑ — — — — —] 6
⏕ ⏑ — ⏑ — ⏑ — — ⏑ ⏓ 6 (vel 2 + 4?)
— ⏑ — ⏑ — — 4
⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏒ 4



v. 207. Hexapodia iambica sive trimeter iambicus acatal. (senarius) in iambicis strophis frequentissimus cf. R. et W. p. 212.

v. 208. Hexapodia iambica sive trimeter iambicus catal., syncopae thesium secundae tertiaeque et arsis sextae; extrema syllaba anceps. Versus non rarus cf. R. et W. metr. III. p. 220. Aesch. Suppl. 595 *ὑπ᾽ ἀρχᾶς δ᾽οὔτινος θοάζων.*

vv. 210 et 211. Schneidewini coniunxi in unum; compositus est ex hexapodia iambica acatal.[1]) et tetrapodia iambica catal. Efficitur igitur *ἀσυνάρτητον* illud *ἀντιπαθές* cf. R. et W III. pp. 224 et 227 cf. Eur. El. 1183 *διὰ πυρὸς ἔμολον ἁ τάλαινα ματρὶ τάδ᾽, ἅ μ᾽ ἔτικτε κούραν.* Herc. Fur. 410. Aesch. Choeph. 625 Ag. 481.

v. 212. Hexapodia trochaica catal., eadem metri forma Antig. 360. Oed. I. 895.

vv. 213. et 215. cum Rossbachio pro uno ducendum puto qui constent ex hexapodia dactyl. [sive hexam. dactyl. catal in syllabam cf. Eur. Hik. 821 *εἴθε με Καδμείων ἔναρον στίχες ἐν κονίαισιν* qui exit in bisyllabum[2])] et tetrapodia trochaica, non tripodia. Nam syllabae *Νυμφις* sunt pro trisemis habendae cf. Rossb. Rythm § 8, ergo — — idem quod — ⏑ — ⏑ cf. Oed. Tyr. 197. *Θρήκων κλύδωνα*, ubi viri docti (cf. metr. III. p. 265) idem metrum agnoverunt.

---

[1]) fortasse rectius metri causa ponitur *Ἀπόλλω* (cum Dind. et Schndw. Quamqnam quod Moeris p. 33 et Thomas p. 98 (cf. Hermanni adn. ad h. l.) formam *Ἀπόλλωνα* Graecam, *Ἀπόλλω* Atticam esse, quoniam poetae tragici in melicis fabulorum partibus Attica dialecto non usi sunt, huc non pertinet. Sed alterum exemplum hexapodiae iamb., in qua secunda thesis syncopa exciderit, non exstat scil. in canticis iambici metri cf. R. et W. III. p. 223.

[2]) liceat etiam duas tripodd. (cum R. et W.) discernere, quae ad eurythmiam 3 + 3 idem valent.

v. 216. Tetrapodia iamb. sive dimeter iamb. acatel. cf. R. et W. p. 213. Lectionem librorum *ἀείρομ'* cum Dind., Rossb, aliis retinendam puto. Hartungius probante Nauckio posuit *ἀείρομαι*. Illius editionem cum inspicere mihi non contigerit, quibus exemplis hiatum defendat ignoro. Quae num eiusdem generis exstent, vehementer dubito, repperi nullum. Nam exempli causa hiatum in Eur. Andr. 1178. *λείπεται οἴκοις* apparet excusari digammo vocis *οἶκος* cf. lat. vicus; verus igitur hiatus non est; verismile enim est enunciatum esse *λείπεται Ϝοίκοις* cf. v. 222. *Ϝίδε, Ϝίδ' ὦ* etc. Ad elisionem diphthongi *αι* in omni poesis genere usitatissimam cf. Matth. p. 114. Spitzn. exc. XIII. ad Iliad. VI. 165.

v. 220. Hexapodia trochaica acatal. Hunc versum hic locavi. Ea enim mutatio non solum metro id est eurythmia requiri (desideratur enim hoc loco hexapodia), verum etiam sensu commendari videtur. Nempe potest quidem versus etiam hoc loco positus coniungi cum verbis *ἰδού μ' ἀναταράσσει, εὐοῖ εὐοῖ ὁ κίσσος*. Sed praestat ad v. antecedentem (217.) adnexio. Nam tibia aptius videtur dici Bacchi certamina movere excitareque vigorem saltantium cf. schol. ad v. 217. *ἐρεθίζει γὰρ ὁ αὐλὸς τὰς παρθένους πρὸς τὴν χορείαν.*[1]) Itemque bene quadrat antecedens verbum *ἀείρομαι;* eandem enim saltationem spectat; cf. etiam Leutschii verba p. 13.

v. 218. non est tripodia, sed tetrapodia iambica, idem metrum Eur. Hik. 828. *ἰὼ ἰώ μοί μοι*, nisi quod altera arsis non soluta est. Non igitur videtur necessarium cum Dind. alterum *ἰδού* addere, quo fiunt dipodia iambica et dipodia trochaica. De hoc cf. R. et W. p. 212. Antig. v. 363 *ξυμπέφρασται*, de illa Eur. Alc. v. 233. *ἰδοὺ ἰδού* et Aesch. Sept. 874. *ἰὼ ἰώ.*

In v. 219. *εὐοῖ εὐοῖ* pro uno *εὐοῖ* scripsi cum Dind., Rossb. et Westph., qui quidem recte in his syllabis *χρόνους παρεκτεταμένους* agnoverunt. Ii enim cum in multis et aliis verbis tum, ut par est, in exclamationibus inveniri solent cf. Arist. Thesmoph. 1041. *αἰαῖ αἰαῖ* et Oed. Col. *ἀιᾶν* Eur. Suppl. 828. *μοί μοι.* Schndw. alterum *με* intulit scribens *εὐοῖ μ' ὁ κισσός*, quod minime opus est. Scitur enim et post interiectiones et post vocabula repetita intraque ea hiatum offensionem habere nullam; cf. frequentissimum illud *οἴ μοι ἐγώ* vel *οἴ μοι ἐμῶν* Phoen. 1550. Oed. Col. 1477 *ἔα ἔα, ἰδοὺ* Ant. 1319 *ἐγὼ γὰρ σ' ἐγὼ ἔκανον*, [quam lectionem viri docti non debuerunt mutare illato altero *σ'* (Herm.: *ἐγώ σ' ἔκανον*)]. Versus igitur est trimeter iambicus acatal., cuius quattuor primi pedes trisemi sunt. Alterum exemplum eius versus fortasse non extat. Id vero propterea nequaquam mirum est, quod ii versus, quibus interiectiones vel etiam nomina immiscentur, severis vulgaribusque metri legibus nec solent nec possunt quidem adstringi.

In v. 221. similia valent. Nam verborum *Παιὰν Παιάν* eadem est mensura. Alterum *Παιάν* addidit Dind. allato repetitionis exemplo Ai. 694. *ἰὼ ἰὼ Πὰν Πάν.* Potuit eadem verba afferre ex Arist. Acharn. 1217 *ἰὼ ἰὼ Παιὰν Παιάν* cf. Eur. Troad. *ἰὼ ἰὼ Πρίαμε Πρίαμε.* Licebit tamen Dindorfii vestigiis relictis scribere cum codd. *ἰὼ ἰὼ Παιάν.* Namque vocalis iota interiectionis *ἰώ* modo longa modo brevis adhibetur. Cf. Eur. Bacch. 576 sqq., ubi *ἰώ* compluries pro spondeo accipiendum, alias autem et vulgo pro iambo; cf. etiam R. et W. p. 214. Possumus igitur versum sic metiri:

— — — — — —

ut sex *χρόνοι παρεκτεταμένοι* sint, id est hexapodia. Ubi ne in illo offendatur, quod quietius metrum virginum saltantium exsaltantiumque laetitiae minus aptum videatur. Neque enim

[1]) Nam verba (v. 217.) *ὦ τύραννε τᾶς ἐμᾶς φρενός* cum schol. plurimisque edd. ad *τὸν αὐλόν* refero; ad eam constructionem cf. vv. 95 seqq. Hic enim quid subita neque ullo verbo significata Apollinis invocatio, quam Nauck. cum Schndw. viderunt, sibi velit, prorsus non perspicio. Immo si quando virgines deum quem alloqui vis, quoniam tibia et hedera spectatur Bacchus, idem ut appelletur exspectas.

obliviscendum, carmen paeani esse simillimum eiusque epirrhema illa vocabula, gravi quodam semper sono pondereque pronunciata.

v. 222. Hexapodia trochaica; quarta thesis sextaque syncopa excisae; quo efficiuntur duo cretici, qui dicuntur, . . *λα γυναικῶν τάδε*. Codicum (etiam L. a.) lectionem *ἴδε ἴδ'* retinendam esse etiam R. et W. (metr. III. p. 266) suspicati sunt. Nam librarios literam *ε* vocis *ἴδε*, ut hiatum removerent, interdum omisisse potius tali loco, qualis hic est, censendum erit, quam, si abesset, addidisse. Excusatur autem hiatus non solum repetitione, sed etiam digammo vocis *ἴδε*, cf. ad vv. 216. et 219. quae adnotavi. Metro postulante cum Dindorfio scripsi *γυναικῶν* eademque de causa vocabulam *τάδε* sequentis versus huic adnexui.

v. 223. Tetrapodia trochaica cf. v. 215.

v. 224. Tetrap. iambica sive dim. iam. acat. cf v. 205.

Restat ut addamus animadversiones quasdam criticas et exegeticas.

ἀνολολυξάτω δόμος ὁ μελλόνυμφος libri *δόμοις*. L. a. Vatic., edd. Ald. et Brub. *ἀνολολύξετε*, Paris. B. *ἀνολολύξατε*, Harlei. *ὀλολύξετε* et Triclin. *ἀνολόλυξον* quem Wakef. sequitur. Scribit enim: *ἀνολόλυξον δόμοις ἐφεστίοις ἀλαλαγαῖς, ὦ μελλόνυμφος* etc. Ille enim cum alias tum in hoc carmine operam navasse videtur, ut eam, quam suspicabatur, antistrophicam responsionem revocaret. Ubi quam ircredibilis saepe imperitiae barbariaeque adiderit documenta, notat Dind. in praef. ed. Oxon. 1836. Nempe Triclinii ad verbum *ὀλόλυξον* adnotatio haec est: . . . . . *ἔστι δὲ τὰ παρόντα τριὰς ἐπῳδική, τὰ κῶλα δὲ τῆς μὲν στροφῆς ζ καὶ τῆς ἀναστροφῆς τοσαῦτα, τοῦ δὲ ἐπῳδᾶς* etc. Itaque fortasse primum versum aequare voluit ei, quem Erfurdt. exhibet septimum (ergo Triclin. verisimile octavum), *ἄναγετ' ὦ παρθένοι*, idem metrum praebenti atque *ἀνολόλυξον δόμοις*. — Brunckius posuit *ἀνολολύξατε δόμοι*, quibus refragatur structura verborum scholiastae ad h. l.: *ἀντὶ τοῦ, ὁ πᾶς οἶκος Ἡρακλέους θυσίας καὶ εὐχὰς ποιείτω*. Ei potius Dind. id, quod ex coniectura sua scribebat, prorsus adaequavit: *ἀνολολυξάτω δόμος*. Idemque mihi recipiendum videtur. Permale enim Nauck. eam coniecturam impugnat: „die von Schneidew. gebilligte Vermuthung *ἀνολολυξάτω δόμος* wird durch die Scholien nicht erwiesen; denn die angeführten Worte (*ὁ πᾶς οἶκος* etc.) geben nur den ungefähren Sinn der Stelle, und hinterher heisst es: *εἴτε μελλόνυμφός ἐστι εἴτε γεγαμηκώς, ἡκέτω*.“ Primum enim quicunque scholia accuratius inspexerit, ea si verbis *ἀντὶ τοῦ* explicationem alicuius loci exordiantur, eadem constructione, quam verba explicanda praebeant, uti solere facile animadvertet cf. schol. ad vv. *ποθουμένᾳ*] *ἀντὶ τοῦ ποθούσῃ*. 118. *τρέφει*] *ἀντὶ τοῦ ἔχει, τὸ δὲ αὔξει ἀντὶ τοῦ αὔξεται*. 122. *οἴσω αντὶ τοῦ λέξω* cf. schol. ad vv. 136. 145. 177. 193. 202 etc. Qua re scholiastam universam tantum loci sententiam reddere negandum erit. Deinde scholiastae verba *εἴ τις μελλόν*. etc. si non Dindorfii coniecturam confirmare, at certe Schneidewini et Nauckii *ἀνολολυξέτω δόμοις* verisimilitudinem eo imminuere videntur, quod scholiasta si invenisset *δόμοις*, quoniam ea voce virgines iuberentur canere in aedibus ipsis, vix dixisset *ἡκέτω*. Contra facile ita dicere poterat, si videbat *ἀνολολυξάτω δόμος*, cum insuper vocem *ἐφεστίοις* perperam intellexisse videatur de sacrificiis; eam enim et *ἀλαλαῖς* explicat: *ταῖς ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἐυχαῖς*. Putat igitur, virgines iuberi foras venire ibique inter sacrificandum cantu clamoribusque deos celebrare. Denique vocabulo *γεγαμηκώς*, in quo potissimum Nauck. offendere videtur, scholiasta verisimile spectat *ἄρσενας* id est *ἄνδρας*, sicut voce *μελλόνυμφος* puellas. Neque omnino ea scholiastae verba tanta videntur esse auctoritate[1]), quibus Dindorfii coniecturam reicere cogamur,

---

[1]) fortasse etiam non sunt eiusdem scholiastae, qui scripsit *ὁ πᾶς οἶκος Ἡρακλέους θυσίας καὶ εὐχὰς ποιείτω*. Apparet enim *εἴ τις μελλόν. ἐστι εἴτε γεγαμ.* nihil aliud exprimere. Quare haud scio an sint posterioris scholiastae eiusque qui locum perperam intellexerit.

praeterquam quod ad Nauckianam lectionem non aptiora sunt. Eadem, quae in illorum lectiones, valent in Brunckianam ἀνολολύξατε δόμοι et Hermannianam ἀνολολύξατε δόμοις (secundum Paris B.) Quorum ille illud saltem animadvertisse videtur δόμοις ἐφεστίοις, quoniam ἐφεστίοις cum ἀλαλαγαῖς coniungendum est, „non bene iuxta se collocari.“ Hermanni autem lectio etiam propterea minus placet, quod anacoluthiam quandam infert. Exspectamus enim ut post ἀνολολύξατε ὁ μελλόνυμφος pergatur: ἐν δὲ ἄρσενες vel simile quid. Pluralis [ἀνολολύξατε] enimvero non habet, quo pertineat. Non displicet Elsmsleyi coniectura, quam tacite posuit ad Eur. Heracl. 782 (ed. suae) ἀνολολύξεται δόμοις, nisi quod futurum ad sententiam debile et languidum. Rectam tamen emendandi viam ingressus est, qua progressus Dindorfius imperativum statuit scribendum et fortiorem et ad sequentia aptiorem cf. ἴτω, ἀνάγετε, βοᾶτε etc. — Voce ὁ μελλόνυμφος Brunckius intellegi censuit ὁ ὕμνος (de quo ipse Brunckianae explicationis nescius initio cogitavi), ut μελλόνυμφος simile quid valeret quod ὑμέναιος. Spectaretur enim Herculis adventus connubium cum Deianira redintegraturi pari modo ac versione „das bräutliche Haus“ cf. Schndw. adn.[1]) Sed aliis exemplis ei usui vocis μελλόνυμφος inservientibus caremus. Nauckius in adn. critica: „Gegen δόμος ὁ μελλόνυμφος“, inquit, „spricht der sonstige Gebrauch des Adjectivs.“ Vulgo sane quidem significat sponsum (vel sponsam), sed propria et primaria vi eum, qui sponsus fiet. Ea notio hoc loco inest vel affinis: quae sponsa fieri potest, id est nubilis. Quam vim ex ipsa vocabuli constructione natam quid tandem impedit quin poeta poetica quadam cum licentia adhibeat? cf. etiam μελλονύμφιος Poll. III., 45 (B.); ad translatam notionem verbi δόμος cf. Oed. Col. 370 τὸν σὸν ἄθλιον δόμον Ant. 600 ἐν Οἰδίπου δόμοις El. 1354 σωτὴρ δόμων Ἀγαμέμνωνος et locum consimilem Eur. El. 690 sq.

ὡς ἢν μὲν ἔλθῃ πύστις ἐντυχὴς σέθεν,
ὀλολύξεται πᾶν δῶμα.

Atque Leutschius quidem (l. c.) ἀνολολυξάτω δόμος — ὁ μελλ. universam spectare dicit iuventutem in domo versantem, sequentibus demum verbis adolescentes (ἀρσένων) et virgines (παρθένοι) discerni. Contra Hermannus illis verbis (ἀνολόλ. — ὁ μελλόν.) virgines sese ipsas dicere arbitratus est. Neutri adstipulor. Per se quidem cum μελλόνυμφος significet aliquem nuptiis maturum id est iuvenilem, verbis δόμος ὁ μελλόν. puellas solas, non universam iuventutem spectari, inde non sequitur. Sequitur tamen ex universo loci sensu. Primum enim consentaneum est in tali rerum conditione a puellis puellas aequales amicasque ad cantum invitari. Deinde respicienda sunt Deianirae verba φωνήσατ᾽ ὦ γυναῖκες, αἵτ᾽ ἔσω στέγης (v. 202.) et coniungenda verbis δόμος ὁ μέλλον. ἐφεστίοις ἀλαλαγαῖς. Iis enim nihil aliud significari quam „mit lautem Jubelruf im Hause“ Schneidew. recte animadvertit. Tum chorus cum iuvenes concinere cupiat, id expressis verbis eloquitur ἐν δὲ κοινὸς ἀρσένων, nimirum quod in antecedentibus verbis (δόμος ὁ μελλόν.) non inest. Denique Wunderus rectissime vidit verbum ὀλολύζειν „proprium esse feminarum“ vel lamitantium vel summa laetitia exsultantium cf. Od. III., 450. αἱ δ᾽ ὀλόλυξαν θυγατέρες. IV. 767. ὡς εἰποῦσ᾽ ὀλόλυξε. XXIII. 407 sq. ἡ δ᾽ ὡς οὖν εἴσιδεν αἷμα, ἴθυσέν ῥ ὀλολύξαι et 411. μηδ᾽ ὀλόλυξε. Hymn. in Apoll. 119. θεαὶ δ᾽ ὀλόλυξαν ἅπασαι et 445 (in Delph. Ap. 267.) αἱ δ᾽ ὀλόλυξαν cf. Aesch. Eum. 945. Eur. Bacch. 688. et Arist. Pax 97, quibuscum cf. Aesch. Ag. 587. ubi Klytaemn.: ἀνολόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὕπο et l. c. Eur. El. 690. ὀλολύξεται πᾶν δῶμα. Sed idem vir doctus quod vocabulis ἐφεστίοις ἀλαλαγαῖς apponit scholiastae

---

[1]) aliud enim ea non exprimit, quamvis viri docti, qui eam praebent, „die bräutliche Jugend des Hauses“ intellegi voluisse videntur.

explicationem: ταῖς ἐπὶ τῶν θυσιῶν εὐχαῖς, sibi non constans est. Cum enim de verborum ἀνολ. δομ. ὁ μελλόν. idem quod ego iudicet (uno tamen argumento, quod postremo loco commemoravi, innixus) voce ἐφεστίοις aram dici dicere non debuit. Nam arae solebant esse ante domum vel templum, non intra aedes ipsas, nisi forte, etsi non addidit, tamen focum, ut antiquissimam aram, intellegi putabat.

ἀλαλαγαῖς] quod Brunckius ex vett. edd. (Ald., Brub.) posuerat, Dindorfius iure revocasse videtur ex duobus (Li. a.) apographis (Par. B. et Vatic.) pro ἀλαλαῖς. Facilius enim, puto, librarius rariorem vocem, quam fortasse nesciret, ἀλαλαγαῖς mutare potuit cum vulgari ἀλαλαῖς, quam contra. Accedit quod cognata vocabula paeanem spectare solent cf. Hesych. s. v. παίων . . . . . ὁ δὲ ἀλαλαγμὸς παιωνισμός s. v. παιωνίσαντες: ἀλαλάξαντες s. v. ἀλαλαγμός: ἐπινίκιος ὕμνος ἢ εὔφημος βοή et Et. M. 657, 17 παιωνίσαντες: ἐυφημίσαντες, ἀλαλάξαντες τὸν παιᾶν ἐπικαλεσάμενοι.

τὸν εὐφαρέτραν Ἀπόλλωνα (v. 208 sq.)] Wunder. et Schneidew. aptum censet esse ex ἀνολολυξ., quae structura per se quidem recta, tamen propter parenthesin obscurior et molestior. Simplicius igitur videtur cum Dind., Leutsch., Bergk. accusativum coniungere cum ἴτω. Sed parum apte Dind. cum ea constructione confert (vide eum ad Ant. 110. ed. III. Ox.) El. 140 sq.

ἀλλ' ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον
ἄλγος ἀεὶ στεναχοῦσα διόλλυσαι etc.

et Ai. 1058 sq.

ἡμεῖς μὲν ἂν τήνδ', ἣν ὅδ' εἴληχεν τύχην
θανόντες ἂν προὐκείμεθ' αἰσχίστῳ μόρῳ[1])

Ibi enim ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον ἄλγος διόλλυσαι dicitur κατ' ἐξοχὴν pro ἐπ' ἀμήχανον ἄλγος βαίνεις ὀλλυμένη. Itaque hoc loco ἴτω τὸν εὐφ. Ἀπ. idem esset quod ἰοῦσα ἀναγέτω. Sed id audacius nec necessarium. Statuendus enim potius videtur is accusativus, qui „finem“ ad quem quis tendit significans coniungitur cum verbis motum indicantibus. Qui usus Homero maxime proprius, apud tragicos item in iisque Sophoclem, φιλόμηρον poetam, frequens est cf. praeter Trach. 159. 259. 506. El. 893. ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον Pind. Isthm. II., 48. ὅταν ξεῖνον ἐμὸν ἠθαῖον ἔλθῃς in verbo ἰέναι Od. I., 176. ἡμέτερον δῶ XVIII., 194. χόρον Χαρίτων Oed. T. 637. οὐκ εἶ σν οἴκοις. ὁρμᾶσθαι: Oed. Col. 1576. ὁρμωμένῳ νερτέρας τῷ ξένῳ πλάκας. ἀφικνεῖσθαι: Il. XVIII., 395. ἄλγος ἀφίκετο με Aesch. Pers. 15. ἄστυ. ἱκνεῖσθαι: Il. XVIII., 144. Τυδείδης ἵκετο νῆας aliisque permultis locis Homericis. Aesch. Suppl. 551. ἄλσος. Sophocl. Oed. T. τὰς ἐμὰς στέγας ἵκου 798. ἱκνοῦμαι τούσδε τοὺς χώρους El. 32. ἱκόμην τὸ Πυθικὸν μανθεῖον Eur. Suppl. 618. σὰ πεδία Iph. Aul. 1543. γῆν 1672. ἄλσος. ἥκειν: Aesch. Prom. 737. ἤπειρον ἥξει Ἀσιάδα 810. κελαινὸν φῦλον Eur. Bacch. τήνδε Θηβαίων χθόνα.

Ἀπόλλωνα] veteres nomen derivant ex ἀπόλλυμι cf. Aesch. Ag. 1081. ἀπόλλων ἐμός. ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον et v. Macrob. S. 1, 17, 10. Quae etymologia quoniam non universam quandam dei naturam, sed singularem eius partem spectat, vera vix erit. Eadem offensione est Welkeri derivatio ex ἀπέλλω (aeolico verbo pro ἀπίλλω, ἀποκλείω), quocum confert ἑκάεργος pro ἕκας εἴργων (?). Equidem assentiendum puto ei etymologiae, quae confugit ad Doricam nominis formam Ἀπέλλων conf. Christ. gr. Ltlehre p. 180. Haec enim videtur orta

---

[1]) hoc loco ea structura, quam Dind. vult, inesse omnino non videtur (nempe θανόντες ἂν προὐκ. etc. idem quod ἐλάχομεν τῆσδε etc.) Nam τήνδε (scil. τύχην) θανόντες est figurae etymologicae audacior quidem usus pro θανόντες τόνδε (ὃν etc.) θάνατον, bonique ominis causa τήνδε (τύχην) ponitur, ubi mors intellegitur.

esse ex ἀβέλιος forma Cretensi cf. Hesych. s. v. ἀβέλιος: ἥλιος Κρῆτες. Ἀβέλιος autem idem quod ἠFέλιος, cf. Lacon. nomen ἀβώς pro ἀFως et Lesb. αὔως (ἠώς), Lat. Auselius et aurora pro ausosa; denique, quod certissimo videtur documento esse: ἀπελλάζω (cf. Plut. Lyc. 6. et Hesych. s. v.) Doricum vocabulum pro ἐκκλησιάζειν. Nam ἀπελλάζειν non certe conhaeret cum ἀπειλή (Papii iudicio), sed, cum ἥλιος etiam valeat „Tag" cf. Pind. Ol. 13, 26 all., eodem modo ortum videtur atque nostrum „tagen." Sunt quidem qui illam etymologiam negent esse veram. Si enim vera sit, Apollinem debere dicunt esse deum Dorium proprium. Id sane eam profligaret. Neque enim ullus „maiorum gentium" deus putari potest unius fuisse Graecorum nationis. At vero illud inde necessario nequaquam consequitur. Neque enim nomen atque cultus dei idem est. Numen enim iam diu omnes Graecorum populi colere poterant nec prorsus idem habere dei nomen. Possumus tantum dicere vetustiorem quandam nominis formam a Doribus servatam esse omnium integerrimam. Prima enim verisimile fuit Ἀνέλιος vel ἈFέλιος. Nam alterum λ nominis Ἀπέλλων oriundum certe est ex assimilatione consonantis iota. Dorica autem forma paulatim divulgata mutataque videtur in Ἀπόλλων. Simile quid Prellerus quoque myth. gr. I. p. 228. sensisse videtur: Der Name Artemis, welcher sich vermuthlich, wie der des Apollo und im engsten Zusammenhang mit diesem, von einem gewissen Punkte aus allmählich den verwandten Gottheiten mittheilte.

προστάταν (v. 210.)] Hermannus: „προστάτης idem, qui alibi προστατήριος, Hesych. s. v. προστατήριος: τὸν Ἀπόλλωνα οὕτω λέγουσι, παρόσον πρὸ τῶν θυρῶν αὐτὸν ἀφιδρύοντο. Photius: προστατήριος Ἀπόλλων ἐπεὶ πρὸ τῶν θυρῶν αὐτὸν ἱδρύοντο. Σοφοκλῆς. Falsa est haec explicatio: Nam in Electrae v. 637, quam respexerunt, Apollo non, quod ante fores statuam habeat, sed ut defensor vocatur προστατήριος . . . . Eadem ratione Diana dicta προστατηρία apud Aesch. Sept. 955 minime illa eadem cum προπολαίᾳ, προθυραίᾳ, προθυριδίᾳ, ut putabat Spanhem. ad Callim. h. Dian. 83. p. 146. ed. Ernc." Quibus adstipulatus Dind. ad El. 637. addit: „sed quia esset defensor sive tutor, propterea statuae ei ante aedes positae sunt." Nec secus sentit Schndw. ibidem: „Apollon als Epikurios, Apotropaios, Alexikakos, hiess an manchen Culturstätten προστάτης oder προστατήριος wie Artemis Aesch. 444 προστατηρία, weil beide als θεοὶ σωτήριοι abwehrten" etc. Impugnat Hermanni sententiam Ellendt s. v. προστάτης: „Iniuria Photium et Hesychium vituperat Hermannus" ipseque προρτάτην hoc loco explicat: „προστατήριον, Ἀγυιέα." Equidem vero nescio an differentia quaedam inter haec nomina προστάτης et προστατήριος sit statuenda nempe fere ea, quam scholiasta exprimit El. l. c. προστατήριος explicans: ὅτι πρὸ τῶν θυρῶν ἵδρυται et hoc Trachiniarum loco vocem προστάταν: σωτῆρα. Etenim nomen προστάτης omnibus semper temporibus deum significare videtur in universum tutelarem, nunquam ἀγυίεα illum; cf. Oed. Col. 303. προστάτην σωτῆρά τε Oed. T. 881 ubi θεὸς προστάτης est Apollo vide etiam C. J. I. 2067—2075, ubi deus προστάτης dicitur ut Olbiae servator. Epitheton προστατήριος autem illis quidem lexicographis etc. auctoribus facere non poterimus quin recentiore saltem Graecorum tempore eum etiam Apollinem spectasse concedamus qui alias vocatur ἀγυιεύς, ἀγυιάτης, θυραῖος cf. Prell. fortasse idem iudicantem; namque nomen προστατήριος adiungit epithetis ἀγυιεύς (cf. myth. Gr. p. 211) quasi simile quid significans, προστάτης autem iis, quibus deus salutaris et servator dicitur cf. p. 212. adn. 4. οὔλιος, ἀκέσιος etc.

Accusativum παιᾶνα (v. 211.) Seidlerus probantibus Hermanno et Wundero coniungi vult cum ἀνάγετε Ἄρτεμιν, ut dativi vice positus sit et βοᾶτε pro altero ἀνάγετε. Quod sane fieri potest, quamqam viri docti paululum confudisse videntur, quae bene dispexit Krueg. I. 46, 12, 1, 2, 8. et 18, 2. cf. etiam de ea structura Schndw. ad Trach. 49. El. 556. et Oed. Col. 1120. Wunderus autem eo ipso loco, quem confert, eam sententiam non confirmat; Eur. Herc. Tur. 687 sq.

παιᾶνα μὲν Δηλιάδες
ὑμνοῦσ᾽ ἀμφὶ πυρὰς τὸν
Λατοῦς εὔπαιδα γόνον
εἱλίσσουσαι καλλίχορον.

Ad ὑμνοῦσι enim nihil referendum est nisi παιᾶνα. Alterum enim accusativum εὔπαιδα γόνον apertum est pendere ex εἱλίσσουσαι ut Iph. Aul. 1480 sqq. ἑλίσσετ᾽ ἀμφὶ ναὸν, ἀμφὶ βωμὸν τὰν ἄνασσαν Ἄρτεμιν cf. Ant. 1151 αἵσε χορεύουσι τὸν ταμίαν Ἴακχον. Itaque hic ἀνάγετε pertinere ad παιᾶνα modo (et βοᾶτε ad Ἄρτεμιν) cum simplicius tum ob eam ipsam causam rectius videtur, quia poeta verbum ἀνάγετε non iterat, sed altero βοᾶτε pergit. Verbum ἀνάγειν vulgare est de cantu incipiendo cf. Lasos frgm. p. 863 ὕμνων ἀναγνῶν[1]) βαρύβρομον ἁρμοίαν. Eur. Phoen. ἀνάγετ᾽ ἀνάγετε κωκυτόν (Plut. Flam. 11 φωνήν?) cf. etiam Dind. Steph. vol I. pars. 2. p. 336: sic et ex Epigr. citatur ἀνάγειν μέλος. De verbo βοᾶν sensu appellandi cum accusativo coniuncto cf. v. 773. ἐνταῦθα δὴ ἐβόησε τὸν δυσδαίμονα Λίχαν cf. Pind. Pyth. 6, 35 Μεσσανίου δὲ γέροντος δονηθεῖσα φρὴν βόασε παῖδα ὅν. Xen. Cyr. 7, 2, 5 ὁ δὲ Κροῖσος Κῦρον ἐβόα vide etiam Luc. Diall. marr. 6, 3 ἴίστε βοάσυμαι τὸν πατέρα.

Ad vocem ἀμφίπυρος v. 215. (de qua cf. schol. πὰρ᾽ ὅσον ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ δᾳδουχεῖ et Paus. VIII. 37, 1 αὐτόθι ναός ἐστιν Ἀρτέμιδος καὶ χαλκοῦν ἄγαλμα ἔχον δᾷδας et Arist. Ran. 1362 et vide Beulé Monnais d'Athènes p. 325.) Hermannus verissime adnotat: Saepe huiuscemodi epithetis illa continentur quae ubique simulacris licebat expressa videre.“ Sed quid illis insignibus spectetur explicaturus minus recte addere videtur: „Diana φωσφόρος dicta videtur vel metaphorice, quod levaret periculo parturientes, vel proprie, quod Lucina esset, partum in lucem producens, ἀμφίπυρος autem et πυρωνία, quo cognomine Paus. auctore VIII, 15, 4 apud Pheneatas colebatur, quod doloribus parturientes uruntur.“ Ea enim explicatio longius petita atque arcessita mihi quidem videtur. Et contra, quod lunae dea erat, ideo ad mulierum partus, ad quos illud sidus aliquantum valere credebatur (crediturque etiamnum ab hominibus scilicet agrestibus), pertinebat. Paulo aliter Schndw. ad Oed. T. 207: „Artemis schwingt auf Kunstwerken in beiden Händen Fackeln als Symbole des von ihr verliehenen Lichtes, Lebens und Gedeihens.“ Qua in explicatione acquiescere liceat, una fax si spectatur. Plerumque enim unam, interdum duas ferens fingebatur cf. Prell I. p. 250. not., ubi diverse ab illis: „Es ist die vorleuchtende Führerin der Demeter.“ Atque mihi quidem id simplicius expediri posse videtur. Una enim face, puto, nihil spectatur nisi universa lunae lux (cf. epitheta σελασφόρος, φωσφόρος, πυρφόρος), duabus autem ἡ διχομηνία, plenilunium; eo enim, id quod ipso vocabulo indicatur, mensis a Graecis in duas (vulgo scil. tres) partes dividebatur; cf. etiam „ἀμφιφῶντας placenta, quae Dianae Munichiae (Plenilunariae, ut hanc vocem fingam) offerri solebant cf. Prell. p. 236 et quos ibi affert ll. — Post verba γείτονάστε Νύμφας (v. 215.) Leutschius l. c. p. 171. acutissime coniecit a puellis puerisque qui intra aedes essent, auditum ephymnion paeanis, quo paeanizare se iubentibus responderent. Quod ex re ipsa cognoscitur. Si enim rogantibus non respondebant, rogare (audientibus quidem et spectantibus) ineptum videri necesse erat. Adscribam totum locum. Nam in universum viro docto assentior ac verba exeuntia ad nostram de v. 220. (Schndw.) transponendo sententiam aliquantum valere existimo: „Dieser Aufforderung (chori, ut illi paeanizent) muss nun Folge geleistet werden: wo geschieht das? Nun hier: man hört jetzt die παιωνίζοντες, welche aber hinter der Bühne singen: und zwar nicht ein Lied, sondern den Refrain des Päan,

---

[1]) sic recte Bergk. (poett. lyr. III.) posuit ex codd. P. et N. ἀναγυων cf. eius notam.

ähnlich wie in Arist. Vesp 874 *ἰήϊε Παίαν*, wo der Scholiast sagt: *ὡς ἐπὶ κακῶν λήξει τὸν παιᾶνα ὕμνον ᾄδουσιν:* add. Schol. ad Soph. Ant. 1136: (ubi vox *ἐναζόντων* explicatur: *ὑμνούντων, μετὰ εὐφημίας εὐοῖ λεγόντων, ὅς ἐστιν ὕμνος Διονύσου*), also haben wir ein *παραχορήγημα* hier. Ohne Zweifel hat man aber nach diesem Päan noch eine Flötenmelodie vernommen, wie Arist. Av. 223, sodass mit jenem Refrain zugleich auch eine *περιγραφή* aus den codd. verschwunden. Alles dies wird durch das Folgende bestätigt: denn gerade dieses Flötenstück, was von der Begleitung bis zu dieser Stelle sich wesentlich unterschieden, bringt den Chor in noch grössere Begeisterung, bringt ihn in bakchische Ekstase: daher *ἀείρομ᾽ οὐδ᾽ ἀπώσομαι*“ etc.

κισσός] hedera cur Baccho sacra fuerit, Prellerus myth. G. I. p. 554 haud recte explicare videtur: „als Kühlung zu der heissen Gluth, in welcher der Weinstock reift und mit welcher der Genuss des Weines erfüllt“ neque equidem perspicio nisi verisimile, puto, quia *οἰνῶψ* est cf. Soph. Oed. Col. 674 *τὸν οἰνῶπα κισσόν*. Namque cum foliorum fructuumque forma tum eo viti simillima est, quod eodem modo arbores moeniaque „amicire“ solet. Accedit quod non solum facilem copiam coronarum (utpote quibus veteres „inter pocula“ cingi soliti sint) praebet nectendarum, jucundamque quandam speciem et nitorem, sed etiam humidis locis luxuriari consuevit. Ea enim fecunditas et in aliis deis deabusque et in Dionyso symbolis quibusdam significabatur, cf. pineos conos, qui thyrsis infigebantur.